



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri  
Viginti**

**Della Porta, Giambattista**

**Frankfurt, 1607**

Quomodo harenarum exercitum præliantem videas. Cap. XVII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

*Quomodo harenarum exercitum præliantem Siden.*  
CAP. XVII.

**N**EC minus iucundum, quam admirabile spectaculum animi causa amicis exhibuimus, qui plena in tabula exercitum in sua cornua diuisum ex harena præliantem non sine maxima admiratione conspiciant, & ignorantibus multis qua ratione moueretur, dæmonum opere fieri imaginabantur. Magnetem in puluerem contundebam, minutissimum aliquem vel grossiusculum, & alium ex paruis frustillis, ut commodius pedites hastatos, vel equitum turmas representarent, atque hinc inde exercitum instituebam, a dextris & sinistris cornua erant, exercitus in medio exercitum turmis comitatus. Sub tabula læua manu magnetem optimum admouebam, quo admoto, sinistrum cornu incedebat, ex altera parte dextra alio lapide dextrum cornu, quum propinquius essent, magneti magis adhærendo, harenulæ inhorrescebant, ac paulatim attollentibus, hastas imitabantur, inclinato magnetem inclinabantur & hastæ, quasi præliaturæ mortem, & excidium minarentur, & quo perfectior magnetis, eadem longius erigebantur, & motis paulatim manibus exercitus pedetentim mouebatur, & propius coherentes lapides, manus committitur præliantium, & simul commiscetur, sic reliqua cornua, & turmæ accedentes prælij simulacrum representant, nunc recedere, nunc progredi videbis, nunc vincere, nunc vinci, nunc hastas erigere, submittere, ut plus minus magnetis accedit, & vehementius vis orbem extendit. Sed hoc magis est mirum, quod plana tabula videtur, poterit & ipsum in aere pendulum fieri, ut præliantes antipodes videntur: nam in sublimi distento papyro, vel tabula, commoti magnetes supra tabulam, illud idem, quod diximus, representant. Sed si quis ingeniosus ministraverit, plura, & maiora, quam scribi possunt, operabitur.